

vnumquemque experiri perturbationes & propensiones animorum intellectum sapientum occoecare, imo in peccata contra conscientiam inducere. Quod a dissentientibus de timore & amore Dei moneatur, quod sine praeuia intellectus notitia esse nequeat, huc non pertinere: sic enim actus praeparandi cum actibus emendandi animam hominis corruptam confundi.

§. XXVIII.

Tandem §. XV. incommoda sententiae dissentientium proponit. * Quae esse putat 1.) improbitatem morum siue apertam siue tectam. Haec nimium quantum intellectu aliquatenus emendato per sagacitatem adiuuante. Prodigium se liberalem, negligentem se facilem simulare & audaces virorum fortium mores exprimere conari. 2.) errorum nouorum inuentionem aut veterum reductionem ac defensionem. Nam residuam de proprio ingenio fiduciam in scepticismum abripere, negligentiam ad praecipitata studia & immatura iudicia ducere. Quae non solum partes errorum sint, sed nouas quoque proferre soleant, 3.) superficialiam non solidam eruditionem, ad quam homines perducantur via hac emendandi peruersa. Nam prauas animi perturbationes non extirpatas simulationem suadere. Vnde studium prouenit, vt in aliis praesumptionem excitent, se omnium artium scientiam possidere. Quapropter historica rerum cognitione sint contenti & abstractionibus humanum intellectum impleant, eisque generalibus, peregrinis & subtilibus, quae a speciosis maiorē in vita utilitatem habentibus auertant. 4.) admirationem humanorum artificiorum non sine Dei tanquam Auctoris naturae contemptu. 5.) conuersationem cum viris improbis modo claris ac in Autoritate quadam constitutis. Perluasis enim esse fore, vt fama illorum excitati errores deponant. 6.) proteruiam in aliorum refutatione & dissenso, quo nimirum eos adfectuum impetus non temperatus abripiat. intentionem bellorum scholasticorum pugnam enim ex vehementia nasci, quae in iis, quorum voluntas nondum est emendata, obtinet.

§. XXIX. Haec sunt, quae in medium de hoc argumento proferenda censui. Venia mihi a te Lector beneuole, petenda est prolixitatis. Quam, spero, eo facilius impetrabo, quo magis adparer, dandum aliquid fuisse temporibus, atque conatibus quorundam recentiorum.

* Haec incommoda nulla sunt, si emendatio conatum mentis, qui per repraesentationes se exerunt, rite sit instituta & perfecta. Autor conatus tantam aliquos intellectumque fere passiuum supponit, qua ratione vtique non solida emendatio sperari potest. Cuius vero intellectus rite est emendatus, is mutationes voluntatis optime comparatas semper habet.

Coll. diss. A. 95, muse 65